

F.H. 52 (11)

(Kant. 11)  
(Acc. f. 1882/8)

Za  
5020

FV









4

O R A T I O  
P A R E N T A L I S  
M E M O R I Æ Æ T E R N U M B E N E D I C T Æ  
V I R I

*Summe Reverendi, Magnifici,  
Amplissimi atque Excellentissimi,*

D O M I N I  
J O . B E N E D I C T I  
C A R P Z O V I I ,

SS. Theol. Doctoris & Prof. Publ. Consistorii  
Elect. & Duc. Assessoris, Facult. Theol. Senioris,  
Alumnorum Electoralium Ephori, Canonici Mi-  
senensis, Collegii Maj. Princ. Collegiati, Academiae Decem Viri,  
& ad D. Thomae Pastoris,

*Theologi de omnibus his officiis & universa  
Christi Ecclesia meritissimi,*

S A C R A .

Dixit

*Die XXX. Mart. Anno M DCC.*

D. THOMAS ITTIGIUS,  
Prof. Publ. & Superint.





R E C T O R  
ACADEMIÆ MAGNIFICÆ,  
ILLUSTRISSIME COMES,  
DOMINE GRATIOSISSIME,

Proceres utriusque Reipublicæ Amplissimi,  
Tuque in spem Ecclesiæ & Reip. nata Nobilissimo-  
rum Juvenum corona,



X quo supremus rerum humanarum Arbi-  
ter incomparabilem Theologum, *Jo. Be-  
nedictum Carpzovium*, orbi ereptum ad  
Superos evocavit, nunquam veneranda  
celeberrimi Viri ita apud nos refrixit me-  
moriam, quin ejus jacturam magno cum a-  
nimi mœrore perferimus. Et primū  
quidem gravissimi doloris impetus, instar fluvii ruptis aggeri-  
bus exundantis, suisque alveis coerceri impotis, totam hanc  
urbem lacrymis & miserabili ejulatu obruebant. Crudum  
illo tempore erat, & adhuc recenti plaga palpitabat acerbis-  
simū vulnus, quod luctuoso Ephori nostri meritisimi *D. Ge-  
orgii Lehmanni* funere inflictum nobis erat, nec ejus leniendi  
spes alia quam in *Carpzovio* superstite apparebat. Verum  
illa ipsa die, qua justa sua Optimo Seni soluta fuerant, spes illa  
omnis, *Carpzovii* morte nunciata, uno velut ictu decollabat.  
Quanta ubique consternatio hinc orta fuerit, cum triste hoc  
nuncium plateas nostras ac domos pervasit, animosque no-  
stros, squalore & luctu ob exequias Magnifico Collegii The-  
ologici Seniori celebratas adhuc depressos, novo vulnere per-  
culit, percussosque penitus prostravit, & meminisse horreo,  
& verba, quibus exprimam, non invenio. Testes vos appel-  
lo, *Patres Conscripti*, quanta omnium mentes obnubilaverit  
tristitia, quam larga lacrymarum flumina, nisi ubi stupor la-  
cry-



## ORATIO PARENTALIS.

crimas retinuit, oculis exundaverint, quam miserabiles gemitus, quam lugubria lamenta domi forisque per totam hanc civitatem audita fuerint, plerisque in luctum adeo effusis, ut neque ploratu temperamentum, neque dolori modum, neque pietati pudorem relicturi viderentur. Nec intra moenia tristis hæc rerum facies se continuit, sed primum in vicinas regiones, & mox in longinquas oras, quaqua versus Carpzoviani nominis veneratio floruit hæc æternumque florebit, se diffudit. Etsi vero maxima ista consternatio & moderaminis impatiens planctus quodammodo desævierit hæc tamen, nunc tamen quod paulum mitescere cœperat vulnus, non sine acri doloris sensu recrudescit, cum ille ipse mensis qui superiore anno lucem Israelis nostri extinxit, in orbem rediit, & hodierna dies tristissimi funeris memoriam refricat. Redeunt in oculos lacrymæ, querelis denuo & lamentabili gemitu omnia circumsonant. Nec possunt tanti Doctores & Theologi obitum non lugere, quotquot eum unquam vel ex ambone templi vel ex cathedra Academica non protrito more differentem audientes ad rerum pondera, ad verborum fulmina attoniti stupuerunt, quotquot divinum ejus ingenium, inexhaustam eruditionem & excelsam animi indolem admirati sunt, quotquot inusitatam ejus in rebus ecclesiasticis vel dijudicandis vel expediendis dexteritatem, cordatam dicendi libertatem, ardentissimum tuendæ sacræ doctrinæ zelum, entheum adversus Satanæ primogenitos odium, cæterasque virtutes & immensa in universam, quam immortalis nominis sui fama implevit, ecclesiam merita eo quo decet pretio aestimarunt. Ego certe quoties mecum recolo, quod sapissime facio, quantum decus & ornamentum in *Carpzovio* vivente habuerit, in defuncto amiserit Lipsia nostra, incredibili afficior tristitia, quæ nunc plane in stuporem vertitur, cum & cathedra hæc, ex qua toties vel disertissime perorantem, vel solidissime disputantem magna cum animi voluptate audire mihi licuit, & subsellia hæc circumcirca atro habitu obducta exequialem ejus diem intimant. Cum in domum DEI ejusque exedras oculos suos divinus Psalter figeret, animumque ejus oblectarent & in sacrum horrorem raperent cum atria, in quibus Sacerdotes populum divini verbi rore imbuebant, tum auditoria, in quibus



## ORATIO

Theologiæ Doctores divinitus benedicti & de virtute in virtutem, seu ut Chaldæi Paraphrastæ sensum exprimam, e domo sanctuarii in domum gymnasii euntes, juventutem sacris studiis mancipatam & Ministerii candidatos solida doctrinæ cælestis cognitione præparabant, in hæc verba admirabundus erumpebat: *quam pulchra sunt tabernacula, Domine DEUS exercituum!* At nobis heu exclamandum est: quam tristia sunt ecclesiæ nostræ & Academiae tabernacula! Habuimus in *Carpzovio* Doctorem largissima benedictione divinitus donatum, qui populum in sanctuario & juventutem Theologiæ consecratam in scholis publicis & privatis ita docuit, ut verum Deum Sioni nostræ præsentem esse manifestum omnibus fieret. Sed habuimus, amissumque nunc lugemus. Dum autem tristis hæc rerum facies oculis meis mentique obversatur, omnes ingenii mei nervos intercidi, & omnem dicendi facultatem, quæ exigua semper in me fuit, intercludi sentio, & neque quæ dicenda sunt ea cogitatione & verbis assequi, neque, ad quos dicendum est, eorum expectationi me respondere posse intelligo. Quamobrem, si meo res arbitrio ageretur, Vobiscum, *Auditores Honoratissimi*, moestus affidere, & Basilio quodam Athanasii nostri laudes celebrante, merita ejus tacite venerari, & gravissimum ex ejus obitu dolorem piis & fidelibus lacrymis testari, quam illætabili, quod mihi impositum est, officio defungi malle. Sed cum ea detrectare religio mihi sit, quæ & *summe Reverendi Theologorum Collegii* autoritas semper mihi veneranda, & ea qua *Carpzoviano Nomini* obstringor, pietas a me postulant, brevi oratione *Carpzovium* Virum sui nominis, hoc est, Divina gratia benedictum fuisse, demonstrabo. Vos modo, *Rector Magnifice, Comes Illustrissime, Proceres utriusque Republicæ Amplissimi, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi*, vestram dicenti gratiam adspirate, ne cum ingenio & dicendi facultate vester quoque simul favor me deserat, cujus præcipua pars etsi in *Carpzovium* beate defunctum redundatura sit, quod reliquum tamen est, pro eo observantiam Vobis meam & officia lubens meritoque debebo, & ubicunque occasio monuerit, promptissime exolvam.

Athenienses Proclus in Chrestomathia sua refert sæpe contraria plane rebus nomina indidisse, carcerem palatium

no-



## PARENTALIS.

nominaſſe, vappam dulcedinem vocaſſe, furias Eumenidum titulo condecoraſſe, ut alia hujusmodi nominum per antiphrasin dictorum exempla taceamus. Quali nominum perversione etiam Ægyptios delectatos legimus, ubi inter Ptolomæos, qui parricida fuit, Philopator, qui fratres interemit, Philadelphus, qui neminem ullo unquam beneficio affecit, Evergetes dictus eſt. Crederes in illis locis hæreticos illos natos, quorum egregia nomina ipſorum doctrinæ, vitæ & factis contraria fuerunt, Noetum inſipientem, Euſebium impium, Theophilum DEI contemp-  
torem, Photinum tenebris immerſum, Vigilantium dormitantem, Eutychem infelicem, Catharos impuros, Melitianos felle amariores. Crederes quoque illum Athenienſium morem Pontifices Romanos imitatos. Invenias enim in illorum numero, Polydoro Vergilio obſervante, Bonifacios maleficos, Leones timidos, Urbanos ruſticos, Innocentios improbos, Clementes feroces, Benedictos male audientes. Neque vero tantum in Pontificum Romanorum catalogo Benedicti male audientes reperiuntur. Fuerunt & alia eccleſiæ, reipublicæ & familiarum carcinomata, quæ pulcherri-  
mum Benedicti nomen dehonestarunt. Miratur Simplicius Episcopus Romanus in literis ad Zenonem Imperatorem, quod Timotheus homo impius, qui Alexandrinum episcopatum invaſerat, cum Constantinopolin ingreſſus eſſet, quaſi triumphantis pompa exceptus fuerit, fautoribus ejus voces ſoli Chriſto debitas ipſi acclamantibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quemadmodum autem Timotheus ille applauſu hoc benedicti voces ingeminante proſus indignus fuit: ita nemini ignotum eſſe poteſt, multos egregio Benedicti nomine ſuperbiviſſe, in quibus nihil fuit, quod ab hoc nomine non maxime alienum videretur, ut Benedictus Spinofa, quem beatus noſter *Carpzovius* in programme quodam paſchali maledictum jure meritoque nominavit, aliique hoc nomine gaviſi peſſimæ notæ homines, quibus commemorandis immorari nolumus, abunde teſtantur. At *Carpzovius* noſter menſuram ſui nominis *Johannis Benedicti* divina adjuvante gratia optime implevit. Nam ut a benedictis ejus natalibus ordiar, Avum habuit *Benedictum*

)(

Carp-



## ORATIO

*Carpzovium* Jctum celeberrimum, Serenissimo Saxoniae Electori a consiliis Appellationum, nec non Viduae Electoralis Cancellarium, quem Theologorum seculi nostri Princeps & immortale decus Johannes Hülsemannus ante novem & quadraginta annos hoc disticho compellavit:

*Fortunate Parens, dans lumina quinque! serenant*

*Bis duo clara Forum, stella Thomana Chororum,*

Quinque enim Filios Doctores habuit, quatuor Jctos magni nominis, *Conradum* Serenissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Domini *AUGUSTI*, Saxoniae Ducis & Archipræsulatus Magdeburgici postulati Administratoris & per Germaniam Primatis, Consiliarium & Cancellarium splendidissimum; *Benedictum*, Potentissimis Saxoniae Electoribus *JOHANNI GEORGIO I. & II.* a consiliis secretioribus & Appellationum, & Scabinatus Lipsiensis Seniorem, magnumque Saxoniae nostrae oraculum, quod morte pridem extinctum nunc etiam judicia ecclesiastica & politica in scriptis auro carioribus quotidie consulunt; *Christianum* in Academia Francofurtana ad Viadrum Juris Professorem celeberrimum, & *Augustum*, Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. *FRIDERICI WILHELMII*, Saxoniae Ducis in Ducatu Coburgensi Consiliarium & Cancellarium eminentissimum, & denique unum Theologum *Carpzovii* nostri Parentem *Johannem Benedictum*, Theologiae in hac Academia Professorem Publicum optime meritum, Consistorii Ecclesiastici Assessorem designatum, Canonicum Capituli Cizensis electum, & ædis Thomanae Symmystam gravissimum, Susceptorem meum, cujus memoriam æternam venerabor. Et hic ipse *Johannes Benedictus*, quatuor illustrium Jctorum frater germanus, suo quoque exemplo piorum generationem benedictam esse comprobavit, dum benedictionem a parentibus suis acceptam in suam quoque sobolem propagavit. Nam & filiam carissimam, Virginem virtutibus sexum suum decentibus com-



PARENTALIS.

commendatissimam, *Christinam Elisabetham*, Philologo & Theologo fama super æthera noto *Martino Geiero*, tum Academiae & Ecclesiae nostrae Lipsiensis, sed postea Aulae Electoralis fideri fulgidissimo, magnoq; ecclesiae nostrae Palladio paucis ante obitum suum mensibus elocavit, & quinque filios, nomine non minus quam re ipsa benedictos, paternae virtutis & gloriae haeredes reliquit, *Davidem Benedictum*, *Johannem Benedictum*, *Augustum Benedictum*, *Samuelem Benedictum*, & *Fridericum Benedictum*, e quibus praeter *Johannem* nostrum *Benedictum* beata morte caelitibus adscripti sunt natu maximus *David Benedictus*, qui supremam philosophiae lauream adeptus post insignia quaedam eruditionis haud proletariae specimina supremum diem obiit, & natu minimus *Fridericus Benedictus*, Polyhistor celeberrimi non solum apud Germanos, sed Belgas etiam, Anglos, Gallos, Italos aliosque exteros nominis, & Reipublicae patriae Senator ac Aedilis prudentissimus; qui paucis post *Johannem Benedictum* mensibus defunctus toti literato orbi, cujus deliciae, cujus amor & dulce decus fuit, maximum sui desiderium reliquit: reliqui autem superstites *Augustus Benedictus* Jctus consummatissimus, & *Samuel Benedictus*, Theologorum ecclesiae nostrae Evangelicae ocellus, Patroni mei cum observantia colendi, bonum publicum, cui ornando & amplificando nati atque facti sunt, in illustribus, quibus assident, Synedriis & collegiis indefesso studio promovent, quos DEUS Optimus Maximus ad seram usque posteritatem sospites atque incolumes servare velit, ut quod beatis Fratribus exolvendum fuit supremum officium, ipsis quam diutissime debeamus. Sed ad *Johannem* nostrum *Benedictum* revertimur, quem Parenti suo cognominem Pientissima Matrona *Elisabetha* ex nobilissimo *Wriefpfennigiorum* stemmate oriunda, magnoque, quem paulo ante laudavimus, Theologo nupta anno hujus seculi nono & trigesimo d. 8. Calendas Maji felici partu est enisa. Ad caetera benedictorum natalium decora non digrediar, neque in laudes meae, quam cum *Carpzovio* communem habeo, patriae excurram, etsi omnino & hoc ad benedictionem divinam, quam *Carpzovius* noster largissimam expertus est, pertineat, quod



## ORATIO

quantum a patria sua lucis accepit, tantum illi nominis sui gloria reddidisse videatur.

Ad benedictam *Johannis* nostri *Benedicti* educationem progredior. Invasit Græculorum animos hæc superstitio, ut singularem quandam vim futura significandi nominibus inesse crederent, quæ die nominali infantibus imponebantur. A qua superstitione cum animos nostros alienos esse deceat, dicere tamen haud vereor, felici quodam omine *Carpzovio* nostro, cum benedicto baptismi fonte lustraretur, *Johannis Benedicti* nomen inditum fuisse. Et quamvis Machiavellus *Benedicti* nomen inter ea retulerit, quibus homines ignavos & imbelles reddi somniavit, nostrum tamen *Carpzovium* *Johannis Benedicti* nomen, quod a Parentibus acceperat, ad pietatem aliasque paternæ virtutis & laudis semitas calcandas exstimulavit. Nec optimis Parentibus quicquam prius fuit, quam ut bonæ indolis vigorem a majoribus transplantatum pia institutione alerent & confirmarent. Quamobrem optimæ spei filium fidelium præceptorum curæ tradiderunt, qui semina bonæ frugis animo ejus insererent, & insita per assiduam culturam ad maturitatem promoverent, nec felicissimi ingenii glebas sylvescere sinerent. Admoverunt labori huic sanctissimo manum M. Johannes Sigismundus Schwenckius P.P. & postea Luneburgensis ecclesiæ Pastor, & M. Tilemannus Backhusius, quos & ego in schola Nicolaitana fidelissimos Præceptores expertus multum illis me debere gratus profiteor. Neque hic tacendus M. Godofredus Reisius postea Islebiensis ecclesiæ Pastor & Gymnasii Inspector, nec non Mansfeldensis Consistorii Assessor, qui & ipse pueri ad pietatem, honestatem & prima literarum inchoamenta formandi curam in se suscepit. Ad privatam institutionem publica in ludo nostro Thomano accessit, ubi Magistros nactus M. Georgium Cramerum, M. Fridericum Rappoltum & Christianum Horlemannum, qui sedulo operam dederunt, ut filius haud degener magni Patris vestigiis a tenera ætate insistens acceptam a majoribus laudem aut parem aut insigni accessione cumulata posteritati aliquando traderet. Huic autem culturæ clementissima divinæ gratiæ benedictio lar-



## PARENTALIS.

largissima incrementa dedit. Palmam enim commilitonibus suis *Carpzovius* noster aut præripiebat aut ambiguam reddebat, & indies magis magisque in apertiora futuræ claritatis præfagia se ætas provehebat. Quid multis? tam benedicta fuit *Carpzovii* nostri educatio & institutio, ut non solum spem, sed & vota Parentum ac Præceptorum suorum superaverit.

Nec Academicis ejus studiis divina benedictio defuit. Cum enim nihil amplius restare videretur, quam ut præclara moles, cujus fundamenta tam probe jacta fuerant, ad suum fastigium perduceretur, celeberrimorum, qui tum Lipsiæ erant, Philosophiæ Professorum Philippi Mülleri, Andreæ Rivini, Friderici Rappolti, Christiani Friderici Frankensteini & Jacobi Thomasi lectiones non sine insigni fructu, qui postea magno cum fœnore in alios redundavit, frequentabat. Postquam autem primam Philosophiæ lauream adeptus est, alias quoque Academies ita visitavit, ut prius inde non discederet, quam magnam diligentiam suam & eruditionis laudem reliquisset. Ac primum quidem anno 55. hujus sæculi ad Parentis sui consilium, quod sanctum ipsi semper fuit, in Jenensem Academiam se contulit, ubi imprimis Hospiti suo D. Christiano Chemnitio, nec non summis Philologis Frischmuthio & Bosio assiduus adhæsit, quibus & Præsidibus publicam cathedram conscendit, quamvis uterque præsens potius quam Præses esset, Respondente partes suas tam strenue agente, ut Præsidibus suis otium faceret. Sunt in adolescentum numero, quibus liberior vitæ academicæ aura illex voluptatis est, dies compotationibus trahunt, noctu bacchantur, cum clarum mane fenestras intrat, stertunt, & dum corpus onustum hesternis vitiis animum quoque aggravat, optima ingenia gravi veterno torpere patiuntur. Aliam *Carpzovius* noster vivendi rationem iniit, qui cum animum discendi cupidum & uberrimum bonæ mentis, quo instructus erat, commeatum in Academiam attulisset, operam dedit, ne vel bonarum artium mercaturæ, in quam missus erat, vel Cratippis ibi docentibus dedecori esset, ideoque in hoc sapientiæ sacrario artes illas sedulo imbibit, quibus carere non possunt,

)( )( )

qui



## ORATIO

qui ad doctrinæ culmen enituntur. Et quia interiora Scri-  
 pturæ adyta sine fontium clave referari non possunt, impri-  
 mis quoque linguarum orientalium studium diligentissime  
 excoluit, ne ex interpretum fide pendere, aut aruspicum  
 more ex alieno jecinore sapere cogeretur. Habebat tum in  
 ædibus Chemnitianis contubernalem & convictorem *Dn.*  
*Jacobum Bornium*, nunc Jctorum Principem, maximis  
 in Urbem nostram & totam hanc Provinciam meritis illu-  
 strem, Potentissimo Poloniæ Regi & Saxonæ Electori ab  
 intimioribus & Appellationum Consiliis, qui ad amplissi-  
 ma, quæ cum maximo Ecclesiæ & Reipublicæ emolumen-  
 to sustinet, munia, summumque illud, in quo nunc con-  
 stitutus est, gloriæ fastigium evectus, nostrum quoque  
*Carpzovium* ad Ecclesiæ & Academiae munera & officia  
 publica promovit; Divina Providentia sic disponente, ut,  
 quem contubernalem & præsentem studiorum feliciter actio-  
 rum testem in Academiis habuerat, postea Patronum &  
 propitium Divinæ benedictionis instrumentum experiretur.  
 Quod hic tacere non debui, cum ipse *Carpzovius* inter  
 maxima Divini Numinis in se collata beneficia Academicum  
 istud cum Summo illo Viro contubernium numeraverit, id-  
 que, cum Raymundianum fidei pugionem ederet, quem  
 Eminentissimo Ipsius Nomini inscripsit, testatus publice  
 fuerit. Eodem comite in celeberrimam, quæ Argentorati  
 est, Academiam profectus est, ubi quæ maxima cum lau-  
 de coeperat studia continuaturus Dannhauero, Johanni &  
 Sebastiano Schmidio, Theologis de ecclesia nostra immor-  
 taliter meritis, nec non clarissimo Polyhistori Bœclero as-  
 fiduam aurium usuram dicavit, & ex illorum ingenio suam  
 locupletavit. Etsi vero lethali Parentis sui morbo mense  
 Septembri anni 1657. in patriam revocaretur, eodem tamen  
 anno post exequias Venerando Genitori redditas ad sacras  
 Argentoratensium Musas reversus est. Quantos autem pro-  
 fectus ibi fecerit, testari poterit doctissima ejus lucubratio,  
 qua sub præsidio Sebastiani Schmidii celeberrimæ huic Aca-  
 demiae valedixit. Antequam autem patriam denuo repete-  
 ret, non solum præcipuas Romani Imperii urbes peragra-  
 vit, & Tubingæ Wagnero, Ulmæ Zeilero, Ratisbonæ Ur-  
 fino,



PARENTALIS.

sino, Noribergæ Dilherro, Altdorfii Hackspanio, Heidelbergæ Hottingero aliisque eruditionis principatum tenentibus Viris, qui variis in locis tum florebant, cominus innotuit, sed in Basileensem quoque Academiam excurrit, ubi clarissimi Buxtorfii non solum ædibus & convictu, sed in formatione etiam publica & privata usus est, ut doctis illis spoliis, quæ avidissime ad se rapuit, ditatus in patriam rediret. Redux ergo factus cum statim Magisterii gradu decoratus esset, non solum ea, quæ secum recondiderat, cum magno studiosæ Juventutis emolumento in privatis collegiis & disputationibus publicis depromsit, sed etiam majorem sacræ doctrinæ apparatus sibi comparavit. Vigebant tum in hac Academia Theologi, quamdiu religio vigeat & sacris studiis honos suus erit, ad omnem usque posteritatem immortali fama celebrandi, Hülsemannus, Kromayerus, Geierus & Scherzerus, quibus dum vacivas aurium operas locaret, eorum ductu sacra studia non perfunctorie delibavit, sed in intimos Theologiæ recessus, Divina Gratia ipsius studiis benedicente, penetravit, idque in publica cathedra, quam sub Geieri & Scherzeri præsidio occupavit, cum magna eruditionis suæ laude demonstravit.

Ad officia *Johannis nostri Benedicti* dum pergendum esse intelligo, *Auditores*, non opus esse reor, prolixè recensere, quo ordine & quibus gradibus ad dignitatum quas tenuit fastigium ascenderit, qua ratione a concionibus sabbathicis ad meridianas, ab his ad vespertinas, vel a Diaconatu ad Archidiaconatum & Pastorum ædis Thomanae evectus fuerit, qua ratione publicam disciplinæ moralis Professionem cum Professione linguarum orientalium, & hanc cum Professione theologica ordinaria permutaverit, quoties Rectoratus, Decanatus, Præposituras gesserit, cui in Assessoria Consistorii, in Canonatu Misnensi, in Ephoria alumnorum Electoralium, in Decemviratu, in Collegiatura successerit; sufficiat, magnum divinæ benedictionis hoc argumentum esse, quod Serenissimus ac Potentissimus *POLONIÆ REX ET SAXONIÆ ELECTOR*, Dominus noster clementissimus cum florentissima hac *Academia* & Nobilissimo Urbis nostræ *Senatu* de dignitatibus & beneficiis in

) ( ) 2

Carp-



## ORATIO

*Carpzovium* congerendis veluti certarent. Nec minus laculentum divinæ benedictionis documentum in eo deprehendimus, quod *Carpzovius* ad tot munera vocatus tot concatenatis laboribus suffecerit, & velut Adamantius quidam ad illos exantlandos infracto corporis ac animi robore per plures annos divinitus donatus fuerit. Benedictum Ferrandum ordinis sui socium Jesuitæ referunt, etsi concionandi munere distineretur, ita se tamen in aliis ministeriis exercuisse, ut unum quodque illorum duntaxat agere videretur, cum & confessionibus audiendis, & xenodochiis ad ægrorum solatium adeundis, & Judæis Maurisque ad baptismum instituendis, rudibusque ter quater in hebdomade per compita frequentissimæ urbis catechesi imbuendis annos complures impenderit, & inter tot tamque graves labores in scribendo haud segnis fuerit, quod omne beatissimæ Virgini Mariæ, quam studiose coluit, acceptum referunt. Noster *Carpzovius* quot concionibus habendis, quot aliis laboribus districtus fuerit, omnes & singuli, *Auditores Honoratissimi*, meministis; meministis vero etiam, neque tot concionibus habendis vocem & latera, neque aliis occupationibus corporis animique vires defecisse, quod Divini Numinis Gratiæ omne debemus. Hæc Divini Numinis gratia affuit *Carpzovio* partes ministerii ecclesiastici sive publice sive privatim obeunti, tantaque sacræ facundiæ gratia beavit, ut non solum nulla verborum penuria laboraverit, sed etiam singula verba suum pondus habuerint, & singulari virtute & efficacia haud caruerint. Multi ad officium ecclesiasticum admoti in socordiae portum se delatos putant, ad concionem habendam sufficere rati, si populo reddant, quæ ex postillis sublecta qualitercunque memoriæ tradiderunt. At quando *Carpzovius* verba e suggestu ad populum faciebat, quantam adhibuisset diligentiam nemini obscurum esse poterat. Proh Deum immortalem! quanta industria abditos Scripturæ sensus referabat! quanta dexteritate obscura sacri codicis loca illustrabat! quanta efficacia animos ad pietatem impellebat! quanto fervore, si legis fulmina vibranda essent, adversus impios intonabat! quanta suavitate afflictorum animos erigebat! unde & ad  
con-



## PARENTALIS.

conciones ejus non tam accedere singuli, quam universi turmatim confluere solebant. Pari applausu lectiones ejus theologicæ excipiebantur, ita ut vix unquam nisi densa Auditorum corona undique stipatus ex cathedra sacris studiis devotos Juvenes doceret. In Johannis Maldonati vita refertur, quod tanta celebritate, tantoque Auditorum concursu Lutetiæ Theologiam professus fuerit, ut quotidie duabus tribusve horis subsellia ante certatim implerentur, quam ipse auditorium ingrederetur, ne excluderentur, quin & sæpe in aperto & in viis publicis docere coactus perhibetur, cum nullæ exedræ auditorum multitudinem caperent. Sed jactitent Pontificii suos Johannes, glori- entur de suis Benedictis. Nos potiori jure de *Johanne* nostro *Carpzovio* veræ & sinceræ Theologiæ Doctore & Professore gloriamur. Quemadmodum enim pictores elegantissimam aliquam imaginem elaboraturi quicquid ubique elegantiarum invenerint, in illam conferunt: ita Deus, quicquid in aliis Theologis separatim eximium reperitur, in unum *Carpzovium* congeffit, ut consummati Theologi exemplum produceret, quo minus mirandum, ex variis oris tantam egregiorum juvenum multitudinem fama ejus allectam ad nostrum Athenæum & in hoc imprimis ad *Carpzovii* lectiones confluxisse. Neque hic tacenda aurea ejus scripta, ex quibus divinæ benedictionis, qua viguit, gratia clarissime elucescit. Inter Scriptores in apparatu suo a se recensitos Johannem quendam Benedictum memorat Possevinus, in cujus opere de casibus conscientiæ cordatos viros non diligentiam solum, sed etiam circumspectionem & prudentiam desiderare monet. At in nostri *Johannis Benedicti* scriptis nemo diligentiam, nemo solidissimum judicium desiderabit, omnes potius stupendam, quæ in iis se diffudit eruditionem admirabuntur. Numero plura & mole majora scripta ediderint Benedictus Pererius, Benedictus Justinianus, Benedictus Arias Montanus, de cujus patria nonnullæ Hispaniæ civitates non secus ac septem Græciæ urbes de Homeri patria certasse perhibentur, unica pagina in aureis *Carpzovii* dissertationibus, aut in doctissimis ejus notis ad Schickardi jus regium

(X)(X)(X)(X)

ali-



## ORATIO

aliisque scriptis plus doctrinae, quam integra nonnullorum  
 scripta continet, unde & monumenta ab ipso relicta avi-  
 dissime quaeri, cupidissime diripi, & numerosa intra exi-  
 guum temporis spacium exemplaria ab emptoribus distra-  
 hi videmus. Sed vereor ne pretium scriptorum a *Carpzo-*  
*vio* elucubratorum ingenii mei culpa deteram & imminu-  
 am, si iis commendandis & laudandis operam impendam,  
 quamobrem caetera quae restant paucis exequar. Nondum  
 enim de benedicto ejus conjugio dixi, quod primum cum  
*Regina Maria Lanckischia*, deinde hac mortua cum  
*Anna Kunigunda Geringia*, at hac etiam per mortem  
 erepta, postremo cum *Amalia* ex celebri *Welschiorum*  
 familia prognata, & *Johannis Rudolphi* spectatissimi in  
 Mercatorum ordine Tribuni Vidua iniit. Benedictum  
 fuit trinum hoc ejus matrimonium suavissima cum conju-  
 gibus concordia & dulcissimo convictu. Neque enim ali-  
 ud quam amoris mutui certamen hic locum habuit. Quod  
 amoris certamen quanto jucundius extitit, tanto gravius  
*Carpzovius Lanckischiam & Geringiam* oculis suis subtrahi  
 doluit, tanto acerbius *Rudolphia Carpzovium* suum a se  
 divulsum luget, cui divinae consolationis benedictionem  
 animitus apprecamur. Benedictum quoque fuit hoc ma-  
 trimonium numerosa sobole, ex qua Filium natu majorem  
 sibi que cognominem *M. Johannem Benedictum*, sabba-  
 thicis templi Nicolaitani concionibus praefectum magna  
 cum animi voluptate vidit. Cujus meminisse non possum,  
 quin simul recorder verborum, quibus *Henr. Hoepfne-*  
*rus*, Theologiae in hac Academia Professor meritissimus,  
*Balthasaris Meisneri*, Theologi *VVittebergenfis* celeberrimi,  
 filium cognominem, paternae virtutis & famae haeredem  
 allocutus est, cum ipsi orationem de vita Parentis Lipsiae  
 in frequentissimo coetu habitam inscriberet. *Quid paren-*  
*tum pietas*, inquit, *aliud est, quam repositorium bene-*  
*dictionis divinae, in cuius partem veniet posteritas.* Hoc  
 divinae benedictionis repositoio Filii & Filiae, Nepotes &  
 neptes *Carpzovii* nostri cum Amplissimo & Excellentissi-  
 mo *Genero* largissime & uberrime fruantur!

Ve-



PARENTALIS: ORATIO

Venio nunc ad illud, de quo primo loco dicendum fuerat, nempe ad *Carpzovii* virtutes, quibus vel maxime se nominis sui virum exhibuit. Ast hic dicendi campus amplior est ac spaciosior, quam ut angusto horulae termino se coarctari patiatur, neque opus est, ut Soli in meridie fa- culam accendam. In manifesta gloriae luce positum est, quanta pietate DEUM coluerit, quam indefesso studio sinceram & orthodoxam doctrinam sacra Scriptura comprehensam & in libris symbolicis repetitam tueri, & non minus adversus veteres haereticos quam Novatores syncretistica scabie prurientes illibatam servare sategerit, quanto fervore precēs ad DEUM fuderit, sive publicis ecclesiae precibus interesset, quas frequentare nunquam nisi maxima necessitate urgente intermisit, sive domi cum carissima Familia ecclesiae salutem DEO commendaret, quod singulis diebus factum est; quanto proximi amore flagraverit, quam strenue omnes corporis animique vires, neque vigiliis neque pericula veritus, muneribus suis fideliter obeundis impenderit, quanta animi magnitudine, virtutis suae & praecclare factorum conscius, & calumnias & virulenta maleferiatorum hominum scripta, quibus laceffitus est, aspernatus fuerit, quanta promptitudine pauperes sublevaverit, & quam pulchre, ut verbo dicam, ejus vita atque mores cum sancta ejus doctrina conspiraverint. De sanctitate Benedicti Abbatis Casinensis ordini huic addicti multa referunt, ejusque capiti in statuis & imaginibus radiatum nimbum addunt. Nos radiatum illum nimbum Sancto huic non invidemus, qui haud difficulter obscurari aut deleri potest. Nostri *Carpzovii* gloriam nulla hominum invidia obscurare poterit, nec ulla temporum injuria ejus radios obnubilare, sed eius memoria etiam post mortem in pace & benedictione perpetuo florebit. Mortem autem ejus dum nomino, non possum non quantum benedictionis ipso extincto amiserimus animo versare. Referunt Judaei, ob Mirjami merita concessum fuisse Israelitis perennem illum fontem, qui eorum castra comitatus est, sed illa per mortem sublata exaruisse; ob Aaronis merita nubem gloriae ipsorum castra obtexisse, sed eo mortuo disparuis.

)( )( )( 2

ruis.



## ORATIO PARENTALIS.

ruisse ; ob Mosis denique merita mannae beneficio Israelitas gavisos , sed hoc per mortem erepto defecisse. Nec minus de *Carpzovio* dicere possumus , quod eo defuncto limpidissimus Israelis fons exaruerit , lucidissima Sionis nostrae columna disparuerit , & dulcissimum , quod ex ore ejus antea collegimus , manna defecerit. Merito igitur mortem tuam, *Magne Carpzovi*, qua nihil tristius accidere nobis potuisset, deflemus , & gravissimam , quam in Te passus sumus jacturam , lugemus. Sentimus heu nimis & futurum seculum , utinam sim falsus aruspex , gravius forte sentiet, quantis bonis per obitum tuum orbati simus. Tibi autem de beato ex hac miseriarum valle discessu gratulamur, exuvias corporis tui terrae, depositum hoc in extremo die redditurae, commisimus , anima tua corpori olim iterum unienda inter benedictos aeterni Patris in caelesti Academia triumphat , eximia tua in Academiam & Ecclesiam merita Divinasque virtutes immortalis gloria sibi vendicat , quae Benedicti Tui Nominis famam aeternum celebrabit.









FK La 5020

ULB Halle 3  
002 727 501



1007

110





ORATIO  
 PARENT  
 MEMORIAE AETERNUM  
 VIR  
 Summe Reverendi,  
 Amplissimi atque Exce.  
 DOMI  
 JO. BENE  
 CARPZO

SS. Theol. Doctoris & Prof.  
 Elector. & Duc. Assessoris, Fac  
 Alumnorum Electoralium Ep  
 senensis, Collegii Maj. Princ. Collegiati,  
 & ad D. Thomæ Past

*Theologi de omnibus his offic*  
*Christi Ecclesia merit*

SACRA.

Dixit

*Die XXX. Mart. Ann*

D. THOMAS IT  
 Prof. Publ. & Sup

